

uti constat ex *Psal.* CXLVI, 3. ne **הבטחו** in principibus &c. *Jer.* XVII, 5. maledictus vir, qui fidit homini. item *2. Par.* XVI, 7. *Jes.* VIII, 11. 20. vide *sis Kircher. usu 2. conc. exem. 7.* Sic Germani: er **besömt's für einen andern** / *Mollerus.* Sic *Psal.* LII, 5. diligis malum **כטוב** i. e. non bonum. *Prov.* XXV, 7. *melius est, ut dicatur tibi: adscende huc, quam ut humiliet te aliquis coram principe &c.* Quod si tamen rigide quis inhæreere velit comparativæ locutioni, dicendum foret, collationem institui inter id, quod revera bonum est, & inter id, quod mundanis bonum esse videtur, v. g. faventes habere magnates, præfidiisque ipsorum juvari. Ratio verò pronuntiati hujus est, quia in homine nunc mutatur fortuna, nunc voluntas, nunc facultas, nunc vita; quorum nullum cadit in Deum. vide *Chytr. b. l.* item *Psal.* LXII, 9. 10. sperate in eò omni tempore, vani sunt filii hominum &c.

EXPLICATIO VERSUS IX.

טוב:) repetitur sententia per anaphoram, tanquam digna inculcari crebrius; simul tamen sermo crescit, cum prius solum mentio fit facta, **ארם** hominis terreni atque fragilis, cujus locò nunc substituuntur **נריכים** magnates, in quibus forte tutius quis opinaretur sperari posse, ut qui & viribus antecellerent plebejos multos, & promissâ etiam sua non ita facile rescindi paterentur, imò qui etiam vi vocis *munisci ac liberales* sunt, vel esse debent. De voce **נריכ** dictum *Prov.* VIII, 26. Exempla hanc in rem suggeret *Chytraus in Psalm. b. f. 736.*

EXPLICATIO VERSUS X.

כל גוים omnes gentes:) Campensis: etiam *si varia gentes &c.* De Israëlitis sub Saulis ductu, Philisthæis, Amalekitis, Piscator, Stephanus, Belgæ &c. Tanta adversus me hostium, quâ corporalium, quâ spiritualium quâ terrestrium, qua infernalium, turba, ac si totius mundi gentes me obsedissent, *Psal.* LXIX, 5. III, 2. ita *Vinarienses.* Belgæ: *allerley.* Verùm sine dubiò hîc Mesfiæ describuntur hostes, æquè ut *Psal.* II, 1. confer *Psal.* XXII, 17. 22. LXIX, 6, qua ratione etiam Cajetanus ait, contra Christum conspirasse & gentes & Judæos, & mares & fœminas, & clericos & laicos, imò ex omni gente advenas in paschate orasse pro Barnaba contra Christum.

סבכני circumdederunt me:) animo scilicet hostili, ad me subigendum totaliterque extirpandum, quomodo Mesfiæ *Psal.* XXII, 13. eòdem hîc utitur verbò: סבכני juveni magni aut multi, *vers.* 17. סבכני canes. De Abramiò eremitâ, versum hunc adversus dæmonas cum fructu usurpante, legi potest *Ephrem* in vitâ ejus.

בשם יהוה in nomine Domini:) h. e. Domino à me invocato juvante, vel mandato & autoritate Dei: quomodo *Deut.* XVIII, 19. dicitur: verba, quæ loquetur in nomine meo: *vers.* 20. ut loquatur (pseudopropheta) verbum in nomine meo, quod non præcepi ei loqui. *2. Sam.* VI, 18. benedixit (David) populo in nomine Domini: *2. Reg.* II, 24. maledixit eis (Elifâ) in nomine Dom. *Psal.* xx, 6. in nomine Domini vexillum erigemus.

כי:) expletivum hoc est ac pleonasticum, sicut *1. Sam.* II, 2. 21. *Ruth.* III, 12. *Jes.* VII, 9. *Genes.* xxxi,

A 42. &c. *Piscator* adversativè reddens *Sed*, trajectio-nem statuit. Alii apud Stephanum post *Chaldæum & Kimbium* suppleant: (speravi) quod succidam eos. affectûs vehementia plura vult intelligi, quàm quæ loquitur.

אמרם excidam eos:) est hîc veluti effectus commendatæ modo fiducia, *vers.* 8. 9. non scilicet dejici animò ob hostium invadentium copiam, quin animose potius eosdem adoriri, Deoque sic volente ac juvante perimere. Porro verbum **אמר** quod in Kal est circumcidere, remove praputium facta sectione, in Hiphil est succidere penitus, sicut succidi solet gramen vel herba, de qua usurpatum legitur hoc ipsum in *Psal.* XC, 6. gramen quod vesperi **אמר** succiditur & arefcit. Non verò in Hiphil occurrit, præterquam h. l. Si conferamus hoc cum antecedente **סבכני** circumdederunt me, eleganter describitur remotio circumquaque facta, cum violentiâ & facilitate; quomodo *Campensis* vertit: facile perdam omnes. Confer illud *Phil.* III, 2. de *κατατομή & κατατομή.* *Aben Esra* illustrat ex **אמרם** languidos & fugientes efficiam.

EXPLICATIO VERSUS XI.

סבכני circumdederunt me:) repetitur res eadem, tum eòdem, tum alterius solum formæ verbò סבכני, (utrumque enim & סבכני & סבכני est à סבב) ad indicandam hostium ferociam, impetum furiosum, subinde repetitum, pertinaciam in opere semel inchoatò diu continuatam, &c. quibus ipsis tamen furoribus validis validiorem suam in Deo fiduciam opponere non cessat *Psaltes*; id quod trina indicat formulæ ejusdem repetitio seu epistrophe, *vers.* 10. 11. 12. continuata, cujusmodi exemplum vidimus etiam *Psal.* CXV, 9. 10. auxilium eorum & clypeus ipsorum est ipse. *Campensis*: cingant me & diligentissime circumdent; (sie umgen mich umgeben.) *Lutherus*: sie umgeben mich allenthalben; prius: sie haben mich umb und umb umgeben.

EXPLICATIO VERSUS XII.

סבכני circumdederunt me:) notetur climax egregia, siquidem nudè primum dicebatur *vers.* 10. circumdederunt. postea *vers.* 11. geminatò vocabulò circumdederunt, imò circumdederunt; nunc tandem adjectâ comparatione: circumdederunt me quasi apes i. e. sicut eadem læsæ conferunt magnoque cum agmine persequi solent lædentem, etiam si viribus longe majorem, advolantes celerrimè, ambientes undique pungentes accerrimè, insequentes cupidissimè ac pertinacissimè; ita mei se quoque gerunt hostes, (utut à me haut quaquam læsi) omnia in meam dirigentes perniciem; vide *Jes.* VII, 18. in die illa sibilabit Deus muscæ in Ægyptò, & api, quæ est in terra Assur. *Deut.* I, 44. egressus est Amorrhæus in occursum vestri, persecutique sunt vos, quemadmodum facere solent apes, & contriverunt vos in Seir &c. Pulchrè *Virgilius* l. 4. *Georg.* *vers.* 83. & 236.

*Ingentes animos angusto in pectore versant,
Illius ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant &c.*

Sic de apum, tenui licet corpusculò præditarum, ingentibus tamen animis, vastissima quæque animalia aggredientibus, etiam *Aristoteles* l. 9. c. 40. quod injectò aculeò necent *μεγάλα τῶν ζώων*, maxima quæque animalia, etiam equos: quod habet & *Plinius*.